

## Prophetia Habacuc

---

### Cap. 1 <sup>1</sup> Onus quod vidit Habacuc propheta.

**2** Usquequo, Domine, clamabo,  
et non exaudies ?

vociferabor ad te, vim patiens,  
et non salvabis ?

**3** Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem,  
videre prædam et injustitiam contra me ?  
Et factum est iudicium, et contradictio potentior.

**4** Propter hoc lacerata est lex,  
et non pervenit usque ad finem iudicium ;  
quia impius prævalet adversus justum,  
propterea egreditur iudicium perversum.

**5** Aspiciate in gentibus, et videte ;  
admiramini, et obstupescite :  
quia opus factum est in diebus vestris,  
quod nemo credet cum narrabitur.

**6** Quia ecce ego suscitabo Chaldæos,  
gentem amaram et velocem,  
ambulantem super latitudinem terræ,  
ut possideat tabernacula non sua.

**7** Horribilis et terribilis est :  
ex semetipsa iudicium et onus ejus egredietur.

**8** Leviores pardis equi ejus,  
et velociores lupis vespertinis :  
et diffundentur equites ejus :  
equites namque ejus de longe venient ;  
volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.

**9** Omnes ad prædam venient,  
facies eorum ventus urens ;  
et congregabit quasi arenam captivitatem.

**10** Et ipse de regibus triumphabit,  
et tyranni ridiculi ejus erunt ;  
ipse super omnem munitionem ridebit,  
et comportabit aggerem, et capiet eam.

**11 Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet :  
hæc est fortitudo ejus dei sui.**

**12 Numquid non tu a principio,  
Domine, Deus meus, sancte meus,  
et non moriemur ?**

**Domine, in iudicium posuisti eum,  
et fortem, ut corripere, fundasti eum.**

**13 Mundi sunt oculi tui, ne videas malum,  
et respicere ad iniquitatem non poteris.**

**Quare respicis super iniqua agentes,  
et taces devorante impio justiore se ?**

**14 Et facies homines quasi pisces maris,  
et quasi reptile non habens principem.**

**15 Totum in hamo sublevavit,  
traxit illud in sagena sua,  
et congregavit in rete suum.**

**Super hoc lætabitur, et exultabit.**

**16 Propterea immolabit sagenæ suæ,  
et sacrificabit reti suo,  
quia in ipsis incrassata est pars ejus,  
et cibus ejus electus.**

**17 Propter hoc ergo expandit sagenam suam,  
et semper interficere gentes non parcet.**

## **Cap. 2**

**1 Super custodiam meam stabo,  
et figam gradum super munitionem :  
et contemplanus ut videam quid dicatur mihi,  
et quid respondeam ad arguentem me.**

**2 Et respondit mihi Dominus, et dixit :  
Scribe visum, et explana eum super tabulas,  
ut percurrat qui legerit eum.**

**3 Quia adhuc visus procul ;  
et apparebit in finem, et non mentietur :**

si moram fecerit, exspecta illum,  
quia veniens veniet, et non tardabit.

**4** Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in  
semetipso ;  
justus autem in fide sua vivet.

**5** Et quomodo vinum potantem decipit,  
sic erit vir superbus, et non decorabitur :  
qui dilatavit quasi infernus animam suam,  
et ipse quasi mors, et non adimpletur :  
et congregabit ad se omnes gentes,  
et coacervabit ad se omnes populos.

**6** Numquid non omnes isti super eum parabolam sument,  
et loquelam ænigmatum ejus, et dicetur :  
Væ ei qui multiplicat non sua ?  
usquequo et aggravat contra se densum lutum ?

**7** Numquid non repente consurgent qui mordeant te,  
et suscitabuntur lacerantes te,  
et eris in rapinam eis ?

**8** Quia tu spoliasti gentes multas,  
spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis,  
propter sanguinem hominis,  
et iniquitatem terræ, civitatis, et omnium habitantium in  
ea.

**9** Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ,  
ut sit in excelso nidus ejus,  
et liberari se putat de manu mali !

**10** Cogitasti confusionem domui tuæ ;  
concidisti populos multos,  
et peccavit anima tua.

**11** Quia lapis de pariete clamabit,  
et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est,  
respondebit.

**12** Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus,  
et præparat urbem in iniquitate !

**13** Numquid non hæc sunt a Domino exercituum ?  
laborabunt enim populi in multo igne,  
et gentes in vacuum, et deficient.

**14** Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini,

quasi aquæ operientes mare.

**15** Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum,  
et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus !

**16** Repletus es ignominia pro gloria ;  
bibe tu quoque, et consopire.

Circumdabit te calix dexteræ Domini,  
et vomitus ignominia super gloriam tuam.

**17** Quia iniquitas Libani operiet te,  
et vastitas animalium deterrebit eos  
de sanguinibus hominum,  
et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in  
ea.

**18** Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus,  
conflatile, et imaginem falsam ?  
quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra  
muta.

**19** Væ qui dicit ligno : Expergiscere ;  
Surge, lapidi tacenti !  
Numquid ipse docere poterit ?  
ecce iste coopertus est auro et argento,  
et omnis spiritus non est in visceribus ejus.

**20** Dominus autem in templo sancto suo :  
sileat a facie ejus omnis terra !

### **Cap. 3** <sup>1</sup> Oratio Habacuc prophetæ, pro ignorantibus.

**2** Domine, audivi auditionem tuam, et timui.  
Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud ;  
in medio annorum notum facies :  
cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

**3** Deus ab austro veniet,  
et Sanctus de monte Pharan :  
operuit cælos gloria ejus,  
et laudis ejus plena est terra.

**4** Splendor ejus ut lux erit,  
cornua in manibus ejus :  
ibi abscondita est fortitudo ejus.

- 5** Ante faciem ejus ibit mors,  
et egredietur diabolus ante pedes ejus.
- 6** Stetit, et mensus est terram ;  
aspexit, et dissolvit gentes,  
et contriti sunt montes sæculi :  
incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.
- 7** Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ ;  
turbabuntur pelles terræ Madian.
- 8** Numquid in fluminibus iratus es, Domine ?  
aut in fluminibus furor tuus ?  
vel in mari indignatio tua ?  
Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ  
salvatio.
- 9** Suscitans suscitabis arcum tuum,  
juramenta tribubus quæ locutus es ;  
fluvios scindes terræ.
- 10** Viderunt te, et doluerunt montes ;  
gurges aquarum transiit :  
dedit abyssus vocem suam ;  
altitudo manus suas levavit.
- 11** Sol et luna steterunt in habitaculo suo :  
in luce sagittarum tuarum ibunt,  
in splendore fulgurantis hastæ tuæ.
- 12** In fremitu conculcabis terram ;  
in furore obstupefacies gentes.
- 13** Egressus es in salutem populi tui,  
in salutem cum christo tuo :  
percussisti caput de domo impii,  
denudasti fundamentum ejus usque ad collum.
- 14** Maledixisti sceptris ejus,  
capiti bellatorum ejus,  
venientibus ut turbo ad dispergendum me :  
exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in  
abscondito.
- 15** Viam fecisti in mari equis tuis,  
in luto aquarum multarum.
- 16** Audivi, et conturbatus est venter meus ;  
a voce contremuerunt labia mea.

**Ingrediatur putredo in ossibus meis,  
et subter me scateat :  
ut requiescam in die tribulationis,  
ut ascendam ad populum accinctum nostrum.**

**17 Ficus enim non florebit,  
et non erit germen in vineis ;  
mentietur opus olivæ,  
et arva non afferent cibum :  
abscindetur de ovili pecus,  
et non erit armentum in præsepibus.**

**18 Ego autem in Domino gaudebo ;  
et exultabo in Deo Jesu meo.**

**19 Deus Dominus fortitudo mea,  
et ponet pedes meos quasi cervorum :  
et super excelsa mea deducet me  
victor in psalmis canentem.**